



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Gregorivs Ex Angliae Regvm Sangvine Heremi Abbas Tertivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



GREGORIVS EX
ANGLIAE REGVM SAN-
GVINE HEREMI AB-
BAS TERTIVS.

A. D. N.

CCIC.
LXIV.

STABILITO Urbis statu, turbisque, vti diximus, compositis, Pontifice Leone, vbi primum tempestas bellandi admonuit, anno nongentesimo quarto & sexagesimo, ad exterminandum Berengarios Otho rursus signa commouit, exiguo spatio vtrumque Berengarium patrem, & Adelbertum filium in potestatem redegit, hunc Constantinopolim in exilium, illum Bambergam Franciæ Orientalis urbem cum Villâ cōiuge ablegavit. Hoc modo, tamquam alter Hercules alexikakos mundum, & Occidentis Imperium, remque publicam Christianam

stianam

ftianam tyrannis, & monftris omnibus perpurgauit, quæ vltra octogefimum annum Italiam, & alias prouincias adflixerant, & in diuerfa rapuerant, traxerantquæ, folus jam Pius, Felix, Auguftus, legitimus Imperator. Pacatâ Italiâ, tamquam labores relaxaturus in Vmbriam ab Vrbe feceffit, Spoletique aliquamdiu veluti in otio fubhæfit. Interea Ioannis amici, & propinqui, multâ in vulgus potentiâ, & erga reliquos auctoritate, tantum apud populum potuerunt, vt Ioannis defiderium oftendere, Leonem defpicere cæperit. Quibus perfpèctis, jam reftitutionis prope certi, continuo, qui Ioannem requirerent, Romamque reducerent, dimiferunt, nullaque pontificiæ dignitatis ratione, aut Imperatoris refpectu, vel postremo periculi grauitate, in Leonem manus iniicere tentarunt. Is, fraude cognitâ, ad Othonem Spoleti adhuc agitantē elapfus, quæq; acciderât, quæq; parabâtur, multis demonftrauit. At enim uerò jam Imperator irritator, in incerta factionū, & belli, fubito in Germaniâ profupplemêto mifit, totoq; Imperio frequentiffimū militē fcribi imperauit. Aduenere ex vtroq; ordine, quatinus Pōtificis, & Imperatoris dignitas, & honos, falusq; in tantū difcrimen vertebatur, plurimi ex Germaniâ principes viri. In primis fuere Hatto Maguntiacēfis, & Bruno Coloniēfis Archiepifcopi, Anno Vormatiæ, Otuinus Hildeshemij, Erkenbaldus Argentinæ, Occo Mirmidoniæ, Cunradus Conftantiæ, Vldaricus Auguftæ, Hardebertus Curix, alijque Epifcopi, Echardus Augiæ, Burcardus S. Galli abbates. In Italiam quoque, tamquam in longum ituro bello, Adelheidis, cum Othone filio ad maritum tranfijt. Interea Ioannem, dum, poftpofito, quod imminebat ab Imperatore, periculo, turpi libidini (vt quidam volunt) indulget, Romanus ciuis cum vxore repertum interemit. Et remedium fecerat, eâ nece, DEVS tot malis, & fcandalis, quæ, nouo Romam eius aduentu, fperari poterant, nifi hominum malitia fupra fuiffet. Subitò enim, vbi Ioannem dignum fcelerum finem reperiffet pernotuit, eâdem, quâ ipfum reuocarant, peruicaciâ, Benedictum fuccefforem diligere, miffisq; reconciliationis, an per fpeciem libertatis, ad Imperatorem legatis, pacem Urbis ne

violare,

violare, simul eam electionem adprobare vellet expetierunt. Respondit Otho sibi belli faciendi in Romanos numquam animum fuisse, nec proinde esse cur pacem poscant. Ceterum pro certo haberent, nisi Leonem, quē communi consensu, & spontē legerint, subito recipiāt, sese porrò, si vis adhibenda sit, neq; vitæ, neq; fortunis cuiusquam parsurum, cuncta pro tuendâ eius dignitate discrimina subiturum. Indignatione, & irâ Imperatoris perspectâ, promissere legati in Leone recipiendo nullam futuram moram. Sed ea promissa vanâ, & irrita Romani habuere. Igitur Romam promotus exercitus, vastata, & incensâ latè quidquid suburbani agri fuit, si vel ex eâ calamitate consilium mutarent. Sed ea omnium peruicacia, vesaniaque fuit, vt, clausis portis, extrema omnia pati, quàm Leonem ad debitam sedem restituere animum induxerint. Vrbs obsessa, & tanto vtrimque, & Cæsarianorum, & Romanorum ardore oppugnata, & defensa, vt eius obsidionis gesta, & euenta mirari scriptores, & celebrare satis non possint. Postremo deditioem fecere, tradito in Othonis potestatem Benedicto, qui in Saxoniam Hamburgum relegauit, egregium alias virum, & dignitate non imparem. Leo restitutus ineunte Octobri. Dum Romæ versabatur Otho cū Adelheide, & filio, ceterisque Germaniæ, & Italiæ primoribus, Pontificem monuit Cunradus Constantiensis Episcopus magni quod ante annos xvi. in dedicatione DEIPARÆ MATRIS apud Heremitas Sacelli suæ diocesis, euenerat miraculi, simul consilium expetijt, an sibi, posterisue, re, quam retulisset, certâ, & compertâ, manum nouæ dedicationi vltra admouere liceret. Leo rei nouitate, & Cunradi iuxta auctoritate, & omnibus perspectâ sanctitudine, & aderat quoque, qui idem testabatur, Vldaricus Augustanus Episcopus, permotus, eorum qui aderant consilio, & consensu, non modo diuinitus factam consecrationem sanctam, & ratam habuit, confirmauitque, sed magnis priuilegijs Monasterium, & eos, qui, pietatis causâ, Sacellum adissent indulgentijs impertiuit, vt pluribus adparet ex bullâ in eam rem 111. Idus Nouembris data, cuius exemplum sic habet.

LEO

LEO Episcopus, seruus seruorum DEI. Conuenit Apostolico moderamini piâ religione pollentibus beninolâ compassione succurrere, & poscentium, siue nos consulentium animis alacri deuotione impartiri assensum, & consilium. Ex hoc enim lucri potissimum premium à conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca ad meliorem fuerint sine dubio statum producta. Igitur omnibus sanctæ DEI Ecclesiæ fidelibus presentibus, & futuris notum esse volumus quia venerabilis frater, & coepiscopus noster Constantiensis nomine Cunradus coram dilectissimo filio nostro Ottone Imperatore, & Adelheide sua chara coniuge, cum aliis multis Principibus suggestit nostro Apostolatu, Quod ad locum quemdam in suo territorio situm, Cella MEGINRADIVOCATUM, Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXLVIII. ad hoc uocatus uenisset, quod Capellam unam in honore sanctæ, & super exaltatæ DEI genitricis semper VIRGINIS MARIE, XVIII. Kalend. octobrium illic consecraret: sed cum circa medium noctis, more solito, causa orationis surrexisset, dixit se dulcissimum canticum, cum quibusdam religiosis fratribus eiusdem loci audiuisset. Et cum diligentius quid hoc esset perscrutari uoluisset, ueraciter comprehendit talem cantum, & talem ordinem angelos tunc habuisse in illius Capella, pro quâ ipse uenerat, consecratione, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione. Mane autem facto, & apparatus omnibus, Episcopum tardantem, & usque circa medium diem fere differentem, Capellam aggredientes, ut promissum inciperet officium deprecati sunt. Sed eum resistentem, & uisionem exponentem acriter reprehenderunt. Donec, auditâ tandem uoce apertâ, FRATER CESSA DIVINITVS CONSECRATA EST, ter audierunt. Et tunc perterriti rem prædictam gestam, ueram, & sanctam cognoscentes approbabant, Ecclesiam præfatam ex illa die calitus consecratam ueraciter adfirmantes. Unde prenominatus Episcopus, & dilectus frater noster adiens limina beatorum Apostolorum Petri, & Paulli nostram consuluit auctoritatem, si post hanc uisam, & certam ueritatem, sibi, uel post eum alicui Episcoporum, manum liceret ap-

ponere.

ponere. Nos ergo consultis venerabilibus viris fratribus, & coepiscopis nostris Hattone scilicet Moguntinensis Ecclesie Archiepiscopo, Brunone Coloniensis Ecclesie archiepiscopo, Annone Vuormatiensis Ecclesie Episcopo, Ottuino Hildensheimensis Ecclesie Episcopo, Okkone Mirmidonensis Ecclesie episcopo, Erkenbaldo Argentinensis Ecclesie episcopo: Udalrino Augustensis Ecclesie episcopo, Hartberto Curienensis Ecclesie Episcopo, nec non Eggeharo Augiensi abbate, & Burcardo Sancti Galli abbate, & alijs quam pluribus, quorum consilio nominata Capella consecrationem ratam esse confirmamus. Et ne presens episcopus, vel aliquis successorum manum deinceps audeat admittere, auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Pauli, & predictorum fratrum, & nostra sub anathemate inhibemus. Prater ea rogatu, & instinctu dilectissimi filij nostri Ottonis Imperatoris, qui non parum Cellam dilexerat, & DEO dilecta vxoris eius Adelheide, nec non fratrum predictorum consilio, sub diuini iudicij obtestatione, & anathematis interdictione statuimus, & precipimus, Vt si quicumque homo potens, vel impotens, spiritualis, vel secularis, ausu temerario, contra hoc Apostolica auctoritatis Priuilegium agere presumpserit, aut presatum Monasterium cum aliquibus pertinentiis eius, quae vel in presenti possidet, vel quae DEO donante, in ius, & Dominium eiusdem Ecclesie deinceps peruenerint, cuiquam, nisi communi, & saniori fratrum DEO tibi famulantiu consensu, & consilio concesserit, & abbati, fratrumque suorum vsibus subtraxerit, ac aliquo modo de lecto sua quietis eos excitauerit, siue homines eius, ubicumq; locorum manent, violenter, & iniuste oppresserit, Nisi resipuerit, & DEO priuilegium, & post famulis suis satisfecerit, auctoritate DEI, & nostra, non solum anathematis vinculis innodetur, sed & a regno DEI alienus existat. Observatores autem omnipotentis DEI gratia benedicat, & a cunctis peccatoru nexibus absoluat. Nos etiam confisi omnipotentis DEI gratia, & Apostolorum Petri, & Pauli, ac sacrosanctae Matris Ecclesie, & Apostolicae sedis auctoritate, cunctos predictum locum confessi, & contriti deuote visitantes a culpa, & a pena reddimus absolutos.

Scriptum

*Scriptum autem per manum Petri Notarij, & Scrinia-
rij Sanctæ Romane sedis, in mense Nouembrio, 1111. Idus No-
uembris.*

*Lectum 111. Idus Nouembris, assidente Domino Leone
papa in sede sua iuxta altare sancti Petri, coram Domino Ot-
tone Imperatore, filioque eius Ottone, atq; Imperatrice Adel-
heide, & venerabilibus predictis fratribus, nec non multis alijs
principibus, tam Romanis, quam Theutonicis, & confirma-
tum per manum Domini Leonis papa huius nominis octaui, in
ordine autem CXXXVI. Anno ab Incarnatione Domini, DC-
CCCLXIII. Indictione VII. Feliciter. Amen.*

Huius facti meminit etiam Hermannus Contractus. *Eo-
dem, inquit, anno nongentesimo sexagesimo quarto, rege Ro-
ma commorante, cum ceteris Principibus, idem papa LEO
consecrationem Capelle calitus factam in Monasterio sancti
Meginradi coram principibus, scriptis confirmavit. Eamdem
bullam reliqui postea pontifices summi frequentes adproba-
uere, ut ad suos locos ostendemus. Otho, urbanis rursus rebus
cōstitutis, tranquillâ Italiâ, anno sequenti ingrediente, Monte
Cincrum qui inter Bellitionû, & Luganum situm est, & inde
Rheticis alpibus Curiam venit, ibi trium regum sollennitatē
peregit. Inde Constantiam, & in Augiam transvectus est, siue
ad Sindeslai insulam. Ab eo, moras ibi faciēte, sed tamquam
jam Imperatore, Dux Burcardus iterum impetrauit, ut, quan-
do post Thietlandum Heremitæ, ex formulâ priuilegiorû præ-
teritorum sibi Gregorium præposuerant, eo pariter fato con-
cedente, alium, quemcumque libuisset, subrogandi faculta-
tem haberent, tradiditque liberalissimus, & pientissimus Im-
perator superiorum prope par istud diploma Burcardo, in ea-
dem Insula.*

A. D. M.
CCLV.
LXV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Di-
uinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Nouerit om-
nium fidelium nostrorum presentium, scilicet, & futurorum
solertia, Qualiter Burchardus Dux nostram deprecatus est
clementiam, quatenus pro DEI amore, loco, qui vocatur ME-

G

GINRA-

GINRADES Cella, ubi Dominus Eberhardus heremita Ecclesiam, in honore sanctæ Mariæ, sanctique Mauritiij, cæterorumque Sanctorum Dei, Hermannique Ducis adiutorio, à fundamētis adificauit, & cetera adificia monachis ad habitandum construxit, cui prius præerat beata memoria Vir illustris EBERHARDVS, quem & modo sanctissimus vir cunctis virtutibus pollens Gregorius nobiliter regit, & Monachis DEO ibi sub militari disciplina militantibus præest, priuilegium nostræ auctoritatis, atque immunitatem, quam ceteris monachis concessa habemus, electionemque concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes ob amorem Domini nostri IESU CHRISTI, nostræque mercedis augmentum, iussimus hoc auctoritatis priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterque iubemus, Ut post obitum venerabilis præfati abbatis Gregorij, monachi eius, qui superuixerint, monachicamque vitam, DEO auctore, in præfata Cella obseruauerint, ac illorum successores, à modo, & deinceps firmissimam habeant potestatem eligendi quemcunque inter eos abbatem voluerint. Et ut nullus ex iudiciaria potestate constitutus, aliquam super eos exerceat potestatem, vel super eorum caussas, seu superfamilias intus, vel foris concessas: Sed eiusdem Cellule abbas potestatiue, cum suis monachis, ad illorum necessarios usus firmiter absque ullius contradictione possideat: Et sub nostra defensione, & immunitatis tuitione prædicia à nobis, seu ab alijs ad præfatum locum tradita, omnesque illorum res perpetualiter, ad illorum, ut supra diximus, necessarios usus, permaneant. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum, priuilegium, & immunitatis firmiter habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propria, subtus illud confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris.

Lutolfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognouit. Data x. Kalen. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXV. Indictione VIII. Regnante Domino Rege Ottone, Anno XXII. Imperatoria autem potestatis Anno II. Actū in Sindliczefouuo. In Dei nomine feliciter. Amen.

Creuerat

Creuerat loci religione, & Gregorij famâ, disciplina-
 que Heremitarum numerus, magnaue ferè nobilitatis ini-
 bi pietati, & rebus diuinis incumbentis multitudo aderat,
 neque per ea tempora prope quidquam celebratius erat. He-
 remitarum sanctitas, & innocentia, Virginei Sacelli fama,
 & miracula vndiquaque peruaferant. Neque tamen perin-
 de facultates suppetebant. Et Monachorum frequentia, &
 superiorum annorum penuria annonam intenderat: præter-
 quam summa necessitas vindicabat, nihil supererat, tenui, vi-
 liquè cultu, victuque agitabatur. Vnde mota Adelheidis
 regina, loci præterea venerationi, & erga Virginem Ma-
 trem, quæ illic adèd præsentem, & propitiam se præbet, cul-
 tu, reuerentiâ, & honore, marito Imperatori auctor fuit,
 & intercessit precibus, firmos vti, & sufficientes redditus Mo-
 nasterio stabiliret. Ad reginæ desideria, & petitionem, suas
 item adjunxerat preces Dux Burcardus fidiſſimus, & prom-
 tiſſimus Heremitarum patronus, & Hartbertus Curiensis
 Episcopus. Itaque Otho, inſitâ pietate, & in DEO, DEIQUE
 Matri loca dicata adfectu, & propensione, Vfnau laci Ti-
 gurini, vti antè retulimus, inſulam vicinam, & oppor-
 tunam, & quæcunque eiufdem inſulæ iuriſdictionis, & do-
 minij erant, veluti Feſiconem, Vricum, Milanum, vicos In-
 ſulæ, & iuxtâ Heremo propinquos, & opulentos, cum ceteris
 omnibus ad eos pertinentibus, Monasterio noſtro adſignauit,
 & propria in perpetuum eſſe ſanciuit, luculentâ, & tanto Im-
 peratore dignâ liberalitate. Addidit alia in Briſiacis, & Lintz-
 gouia, & Rhetiâ, loca, vt poſteâ patebit. Ex quo meritò tum,
 & in poſterum Otho, & Adelheidis fundatores noſtri præci-
 pui, & conditores habiti, atque celebrati. Sed quia Inſula,
 de qua diximus, juris, & dominij Anſtitæ Sanctionenſis
 erat, vſumq; modo ab Bēnonis tempore, & fructum Heremita
 perceperant, proprietatis vice, tradidit Sanctionenſibus Otho
 alia ſua prædia, & vectigalia, veluti vicum Schanum Comita-
 tus Verdenbergenſis, portorium Ripenſe, et Valeſtatenſis laci
 poteſtatem. Huius eximie foundationis, et mutationis decre-
 tum eodem die, et in eâdem Inſulâ factum, hac formâ.

IN Nomine Sanctæ, & indiuidua Trinitatis. Otto, Diuinâ annuente clementiâ, Imperator Augustus. Si circa loca dicata Dominopro Ecclesiasticæ facultatis augmento intendimus, Diuina nobis profecto remunerationis præmium profuturum credimus. Ideo nouerit omnium fidelium nostrorum tam presentium, quam futurorum industria, Qualiter dilecta coniunx nostra Adelheida nostræ Serenitatis excellentiam deprecata est, Quatenus Ecclesiam sanctæ MARIE, in Cella MEGINRADI heremita constructam, DEOQUE dicatam subleuaremus. Huiusmodique precibus assensum præbentes ipsius interventu, & Purchardi nostri Ducis, nec non Haritperti antistitis nostri consolatui ob æternam remunerationem, & remedium animæ nostræ quasdam res iuris nostri prælibatæ Ecclesiæ Abbati Gregorio, caterisque seruis DEI secum nunc, & in posterum per succedentia tempora in præfata Cella DEO militantibus, ex integro condonauimus, cum omnibus ad easdem res Vffenouua iuste, & legaliter pertinentibus, in Ducatu Allemannico, in Comitatu Zurichgouue subnominatis his locis, id est, Pfaffkoua, Vrinhoua, Ecclesiam quoque de Meginlano, & cetera loca, ad præfatum locum Vffenouua pertinentia, ubicumque prouinciarum iacere videantur, cum omni eorum usu, cum Ecclesiis, & earum decimis, cum omnibus censibus, adificiis, mancipiis utriusque sexus, agris, pascuis, alpibus, forestibus, atque piscationibus, molendinis, cultis, & incultis, questis, & inquirendis, & cum omnibus ad hac iuste, legitimeque pertinentibus. Hac uidelicet præscripta loca quadam proprietatis nostræ curte in Comitatu Adelberti Rhatia vocato, Scana dicta, cum Ecclesiâ, & omnibus pertinentiis eius, nec non in eodem Comitatu Portum Riuanum, nauigium cum nauulo per concambium legitima transmutationis de Abbatia Seckchinga perpetualiter commutauimus. Et ut hac auctoritas nostrâ stabilitis irrefragabiliter cõseruetur manu nostrâ propriâ subtus eam firmauimus, & annuli nostri impressione consignari iussimus.

Signum

Signum Domini Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.

Lutolfus Notarius ad vicem Vuilhelmi Archicapellani recognouit. Data x. Kalen. Febr. Anno Incarnationis Domini DCCCC LXV. Indictione VIII. Regnante Serenissimo Imperatore Augusto Ottone, Anno 11. Actum in Augia feliciter. Amen.

Traditum reperio antiquis monasterij monumentis ipsum postea Imperatorem, cum Adelheide, in Heremum venisse, cognitoque Gregorium sibi sanguinitate maximè coniunctum, multo plura eò beneficia contulisse, nunquam Heremo, quam præcipuè colebat, & maximo opere admirabatur, benefaciendo satiatum esse. Ceterum, Imperatoris absentia, continuo Longobardorum quidam primores Adelbertū revocarunt, rebellionemque, solità leuitate, cæptarunt. Contra eos missus dux Burcardus, nauali, terrestri que prælio cum perduellibus decertauit, claramque victoriam, fuso rursus, & fugato Adelberto, Vidone fratre eius acie interfecto, reportauit, plenusque gloriâ, & famâ ad Othonem remeavit. At pontifex Leo Romanorum leuitatem, & turbulenta ingenia pertæsus, siue plura contra decus, & tanti muneris dignitatem patrabantur, eligendi pontificis potestatem ad Imperatorem iterum transtulit, & eius successores, exemplo Adriani pontif. qui Caroli Magni ius id fecerat, addidit & investituræ, vt vocant, Episcopatum, & ceterorum sacerdotiorum facultatem, magnam postea, & inexpiabilem in Ecclesiâ, & imperio ruinæ, cladisq; causam; illam auctoritatem tueri, & obtinere, conseruareque sequentibus Imperatoribus armis, viris, copijs contendentibus, donec Ecclesiæ, sponsæ suæ misertus Christus splendorem, & dignitatem restituit, ac reparauit, illam regibus, ob perpetuas calamitates, & clades, amplius attentare non ausis. Neque Leoni postea vita longa fuit. Obijt Kal. Augusti, successore, auctoritate Imperatoris, Ioanne XII. quem haut minus subito, incitante Petro Urbis præfecto, adfligere Romani cæperunt, suapte info-

A. D. N.

CCLIII.
LXVI.

A. D. N.

CCID.
LXVII.

lencia quoque, & vexandi pontifices ingenitâ lubidine. Postremò Rotfridus Comes nihil tale opinantem palatio, armatâ manu, raptum, in Campaniam ad vincula transportauit. Quam contumeliam, & indignitatem exemplis vlturus Otho, mense Augusto, anni nongētesimi sexagesimi sexti Vormatiæ conuentum principum frequentissimum habuit. Hinc per Curiam, & Rheticas alpes in Italiam copias cum filio Othone, primo Septembri, traduxit. Insubriæ quosdam proceres, quos Adelberto fauisse compertum erat, alios in Saxoniam, alios in Franciam Orientalem relegauit, hiberna, more solito, Ticini constituit. Ingrediente vere sequentis anni, Romam versus accelerauit. Consules, & Vrbi præfectus, turbante licet factorum conscientia, veluti hoc pacto reconciliaturi, cum populo vniuerso obuiam Imperatori processere. Ipse transactis, tamquam in publicâ lætitiâ, paucis diebus, de turbatoribus Ecclesiæ, & Urbis iudicium constituit, in conuictos seuerissimè animaduertit, alios patibulo adfixit, alios virgis cæsos ignominia notauit, plures & nobiliores in exilium misit. Omnes copias post in Mauros, qui Apuliam vastarant, Consentiam incenderant, præmissis cum equitatu Othone filio, duxit. Illi ad eius aduentum in naues cum spolijs versus Africam diffluxere. Versa hinc in Nicephorum Orientis Imp. arma, quod Theophaniam filiam Othoni juniori promissam reddere nollet, quodque Græci Calabriam colentes, Mauros, ante paucos annos contra se, & pontificem sollicitarant, fouerantque. Redactum in potestatem, pulsus totâ prouinciâ Græcis, quidquid Orientis Imperij in Italia supererat, & Occidentali subiectum. Et interea Nicephorus, veluti rerum inscientiâ, secordiaque Imperium dedecorans, & causâ acceptæ in Italia cladis, Ioannem filium successorem habuit, qui Othonis senioris amicitiam, & Iunioris adfinitatem bello, & discordiæ præferens, confestim misit, qui & controuersa dirimerent, & Teophaniam sororem deducerent. Urbem triumphabundi pater, & cum sponsâ filius inierunt, mense Decembri vergente. Natalijs mox diebus, Otho, probatâ filij, præterito bello, insigni fortitudine, et vir-

tute, ad

tute, adplaudētibus omnibus, consortem nominavit. Eumdem Ioannes pontifex memor, & gratus apud Lateranum, cum Theophaniâ coniuge, incredibili sollennitate, coronavit, Imperatorem, & Augustum salutavit, Kalen. Ianuarij. Constitutâ deinceps Italiâ, in Germaniam vterque Imperator exercitum reducerunt. Clarus, hac tempestate, eruditionis, & sanctitatis gloriâ in Heremo Wolfgangus erat Comes Veringensis, aut, vt alij volunt, Pfullingensis, vel Reidenfeldensis, nam tot de eius stemmate sententiâ, monasterij tunc Decanus. Is sacris ab Vldarico Augustensi Episcopo, qui sapius, vt prædiximus, religionis causâ, & veteri cum nostris cōsuetudine, ad Heremum ventitabat, ibidem initiatus, Gregorij abbatis licentiâ, & auctoritate, quia *videbatur sibi cum simplo, & abscondito talento, quasi vacuus apparere in conspectu domini, nisi, eo exposito, & duplicato*, inquit Comes Arnolfus, *aliorum quoque consuleret saluti*: cum aliquot ex Heremo socijs diuini cultus apud remotiores gentes propagandi desiderio, in Austriam, Hungariam, Bohemiam, & loca vicina, circiter annum nongentesimum septuagesimum profectus, multos ab improbis, & impijs ritibus, & erroribus, alios scelerum è vinculis liberavit, Christo, et Ecclesiæ restituit, insignem integritatis, et eloquentiæ famam parauit, Heremitarumque nomen, et sanctitatem latè diffudit. Reuersus hinc Batauium, apud Peregrinum Episcopum diuertit, qui, eius perspectâ sinceritate, Marco Comiti, cuius consilia Otho Imp. maximè probabat, impensius eum commendauit, Ratisbonensis Ecclesiæ dignum adfirmans, et nimium eam felicem, si talirectore potiretur. At is porrò Imperatori Othoni. Vnde Imperatoris auctoritate, et gratiâ, magno consensu, et congratulatione, Ratisbonensis Episcopus factus, tantisper, contra omnium vota, et desideria, obnixus est; donec Gregorius Abbas suscipiendæ dignitatis auctor, et suafor fieret, Anno nongentesimo septuagesimo secundo, 1 v. Nōnas Aprilis, Indictione x1 v. In Ratisbonensi porro Episcopatu ita se deinceps gessit, vt eius meruerit esse, colique patronus, et tutelaris Diuus. De cuius vitâ, et meritis, alio

A. D. X.

CCLD.

LXVIII.

A. D. N.

CCLD.

LXX.

A. D. N.

CCLD.

LXXII.

A. D. M.
CCLV.
XCIII.

loco pluribus. Meminit eius Martinus penitentiarius Othonis Imperio. *Eodem etiam tempore, inquit, sanctus Volfgangus supradicti Monasterij Heremitarum monachus, & Decanus Ratisbonensis Episcopus est factus, qui multos in credu-
los suo tempore conuertit.* Post Ioannem creatus Pontifex Benedictus v. dictus vi. Anno nongentesimo tertio Germaniæ superiora Imperatoribus perlustrantibus, circiter medium Augusti ad S. Gallum venere. Hic in Burcardi abbatis locum, qui sponte dignitatem exuerat, Notkerum, ejusdem Burcardi commendatione sublectum, probauerunt. Ibidem voluntate, & iussu parentis Heremitarum priuilegia, & quidquid eorum juris, & proprietatis in Brisgouia, Lintzgouia, Rhetia, Comitibus Tigurino, & Turgouienfi, per ea tempora habebatur, confirmauit, sua auctoritate, & diplomate junior Otho. Eius hoc est exemplum.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto iunior, senioris, Diuinâ annuente clementiâ, Coimperator Augustus. Cum totius studio religionis, maximeque Ecclesiarum subleuatione ad DEI culturam augmentandam nostra Serenitatis excellentiam semper intentare æquum, ac præ omnibus dignum fore sciamus, Omnium fidelium nostrorum industria notum fieri volumus, Quia nos patre nostro dilectissimo, ac Coimperatore volente, res Ecclesiasticas à se, vel ab alijs quibusquam ob æternæ recompensationis spem loco sancto MEGINRADES Cellanuncupato, fratribus ibidem sub abbatum regularium monachio moderamine manentibus, vel in posterum successuris, DEI seruitio commodius sustentandis concessas, præcepti nostri auctoritate Imperatorij confirmamus, cum locis diuersè illò contraditis, ac huiuscemodi subnominatis, id est, iuris sui curtem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chensinga, Deninga, Purchheim, Baldinga, Rottvilla, Betzenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tutesvelda, Rihulinga, Birinheim in Ducatu Allamannico, in pago Brisicouue sitis. In Comitatu etiam Zurichgouue loca Uffenouua, cum ceteris eò pertinentibus, id est Phassinkoua, Urinckoua,

Ecclesiæq.

Ecclesiaque in Meiolano sita, ceteraque illuc, ubicumque terrarum iacere videantur, pertinentia, cum dote eiusdem Ecclesie Utinuuilere, Chaldebrunna, Steueia, Bechiu, Lindunouua, Rutin, Manidorff, EZZelinga, Friembach, Rahpratesuuilare, Sibbeneihha, Unagena, Rutin, Vuanga, Suuites. In Comitatu Turgouue Aschinza cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu Linzibkouue Tizindorff, Turinga, Rutin. In Comitatu Rhetia Quadrauedes, Meilis, Senouio, En Sline, NeZudra, Cise, Vallis Drustiana, Campeßia. Hac quippe omnia, cum singulis eorum appertinentiis, id est, vtriusque sexus mancipiis, adificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpiibus, censibus, placitis, seruitijs, viis, & inuis, exitibus, & redditibus, quaestis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus ita vt à patre nostro, & Coimperatore, vel à quibus libet ceteris eidem Ecclesie sanctissima Matris DEI MARIE, Abbatibus, fratrumque vsui proprio condonata sub nostra excellenti auctoritate firmamus: Ea scilicet ratione, vt omnium iniquitudine circa hac penitus semotà, nullus aliquo potestatis iudiciaria praditus regimine, easdem iamdictas res, nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter disperdere, seruitia inde in quacumque exigere, vel aliquid iniuria familijs eorum intus, vel foris, vel capitalibus censualibus inferre presumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel aut sua tollendo, aut iniquè exprimendo, vel à fratrum iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo configat. Et vt hoc nostrum presens preceptum cunctis sancte DEI Ecclesie filijs à modo, & deinceps firmitus, stabiliusque, viuus, ac successuris credatur, ac certificetur, hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione iussimus consignari.

*Signum Domini Ottonis magni, & inuictissimi
Imperatoris Augusti.*

Vuillifus Cancellarius ad vicem Rodperti archicapella-

ni sub-

ni subscripsi. Data xviii. Kalend. Septemb. Anno incarnationis Dominica dcccclxxiii. Indictione. xv. Anno regni Domini Otthonis xii. Imperij autem v. Actum in sancti Galli Monasterio Cisalpino feliciter. Amen.

Ex quibus clarum quanta Othonis I. Imper. erga hoc nostrum monasterium munificentia, amor, & adfectio fuerit. Nam hæc tam ampla quondam, & locupletia Heremitarum loca, paucis exceptis, quæ Allemanniæ Ducum, & Principum munera sunt, omnia suæ voluit esse deuotionis, & liberalitatis testimonia. Imperatores S. Gallo, Augiam cōcessere. Et quia Heremita cetera fermè, quæ in vsum maxime quotidianum ab vrbe propinquâ adferebant, omniumque rerum commercia ibidem agitabant, proque eorum multitudine, & frequentia sumtus, pensitandis vectigalibus, & portorij, alijsque, quæ juris Imperialis erant, & ad Ducatum Allemanniæ pertinebant, haut mediocres faciebant, intercessit apud Othonem eundem juniorem Dux Burcardus, omnium eorum vti gratiam, & æternam remissionem faceret, cunctisque oneribus eximeret; obtinuitque, eadem in Insula, xvi. Kal. Septembris. Huius immunitatis decretum etiam infra ad posui.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto iunior, DEI nutu, senioris Coimperator Augustus omnes agnoscat nostri fideles presentes scilicet, & futuri. Quod nos scientia, ac voluntate Burghardi Allamanorum Ducis seruis DEI solitarijs in canobio Siluestri MEGINRADES Cella vocabulo, iugi seruitio DEVM colentibus telonium in Turego ciuitate, & nummos iuxta morem monetæ persoluendos penitus tam eis, quam omnibus per temporū perpetuas successiones ibidem, tali conuersatione, mansuris, nostrâ auctoritatibus potestate, nō ulterius persoluendum perdonauimus, scilicet, vt homines illorum necessaria seruitia prouidentes mercimonio quolibet in hac ciuitate negotiantes, vel nummularios quærentes, sine omni restrictione hoc peragere liceant, ac securi inde discedant, Et

vt hæc

ut hac nostri perdonatiui auctoritas præcepti firmior, stabiliorque cunctis sanctæ DEI Ecclesiæ filiis perpetim credatur, hanc chartam inscribi, manuque propriâ, subtus firmatam annuli nostri impressione iussimus sigillari.

*Signum Domini Ottonis magni, & invictissimi
Imperatoris Augusti.*

Vuillifus Cancellarius ad vicem Rodperti archicapellani notauit. Data XVI. Kalend. Septemb. Anno incarnationis Domini DCCCCLXXIII. Indictione XV. Anno regni Domini Ottonis XII. Imperij autem V. Actum Augiæ Insulari.

His circiter temporibus, festo S. Michaelis obiit mortem Adalricus in sua Vfnauigiësi insula, sepultus in æde, quam mater in honorem Sanctissimæ Trinitatis, MARIÆ DEI genitricis, & Apostolorum Petri & Pauli ædificare inceperat, ipse perfecerat. Fuerat Monasterij nostri Custos, itaque vitam instituit, vt viuentis, defunctique sanctitudinem frequentibus tunc, vt nunc quoque, miraculis testatam voluerit, velitque DEVS. Ex eius hæreditate magnæ ad Heremitas possessiones, & prædia, juraque Steuiæ, Vuolruuiæ, Feficone, alijs, Insulæ Vfnauigiæ, & Heremo vicinis vicis, regionibusque pervenerunt, vt non modo inter Diuos tutelares Monasterij, sed Fundatores quoque numerari, venerarique debeat.

Post Benedictum in Pontificatu successit Donus II. quæ nonnulli tamen omittunt, ob breue, & nonnisi trimestre Pontificatum. Successit Dono Bonifacius. Accedit Annus nongentesimus quartus & septuagesimus memorabilis trium totius Germaniæ clarissimorum virorum morte. Primus fuit Imperator Otho I. Excessit Mimilebe Nonis Maij, feriâ, 1 v. aute Pentecosten, Magdeburgi in S. Mauritij, quam condiderat, basilicâ sepultus. Insignis, & præcipuus, vt vidimus, Heremitarum fautor, & locupletator, quod etiam Martinus admonuit, de eo in hæc verba mentionem faciens. *Idem fundator eximius, Cellam sancti MEGINRADI, qua nunc monasterium Heremitarum dicitur, ad honorem DEI Genitricis*

A. D. N.

CC L D.

LXXIV.

tricus, & sancti Mauritij, honoribus & possessionibus largif-
simis ampliauit. Eius proinde clara, & anniuersaria apud nos
memoria VIII. idus eiusdem mensis, quo etiam vitam finisse
omnes nostræ contestantur ephemerides. Anno præcedenti,
& eodem die, eius excessum ponunt Contractus, Lambertus,
Marianus, Sigebertus, alij ferme, sed conuincuntur ex datis
ab eo, mense Septembri, eodem anno, vt ostendimus, diplo-
matis. Otho secundus cùm jam regnasset annos XIII. im-
perasset cum patre VI. solus præfedit annos IX. Othonis I. obi-
tum adsecutus Vdalricus Augustensis Episcopus ex Comiti-
bus Kiburgiensibus, & Dilinganis, Hugobaldi F. Hartman-
ni N. IV. Nonas Iulij, Episcopatus anno L, ætatis LXXXIII.
Illum cum fortè ægrotum visitatum isset, & defunctum repe-
risset, eodem tempore, apud S. Afram sepeliuit Volfgangus Ra-
tisbonensis Episcopus, vbi *innumeris vsq; hodie claret miracu-
lis*, inquit Contractus. De Vlrico memorant antiqua Heremi
scripta, præter quæ supra diximus, Virgineum Sacellum quot
annis fermè adijisse, magnâ primò cum Eberhardo, quæ etiam
fanguine attingebat, necessitudinem exercitasse, eadem lege
amicitiæ mox THIELANDVM, & GREGORIVM coluisse.
Eius adhuc in Heremo monumentum, & munus brachium,
vti retulimus, S. Mauritij loci patroni, & aliæ Thebaicæ legi-
onis relliquiæ, brachium S. Dignæ ex comitatu S. Afræ Au-
gustanorum patronæ, itemque ex eadem S. Afræ nonnulla,
& alijs martyribus. Vestes præterea sericæ, quibus sacerdotes
& leuitæ operantur sacris, coloris lutei, quarum etiam con-
tractus pollebat virtute miraculorum. Incendium eas postre-
mum antiquitate, & donatoris recordatione venerabiles ab-
sumsit. Tertius fuit qui hunc, suâ morte, nobilitauit annum,
Burcardus III. Allemanniæ Dux, Heremitarum clarissimus, &
integerrimus aduocatus, & patronus. Vitâ functus est pri-
die Idus Nouembris, & in Augiæ Sacello D. Erasmi conditus.
Otho Imperator II. Allemanniæ Ducatum dedit Othoni ex
Luitolpho fratre nepoti, qui, eodem pariter tempore, He-
remitarum patrociniū, paterna vestigia, & auita securus,
accepit. Et profectò breui vterque Dux, & Imperator im-
mensum

mensum

mensum suum erga Heremitas fauorem, & studium probauere. Et si enim patris voluntate, & mandato prius monasterij priuilegia, & bona, rata, & vera habuerat suo rescripto Imperator Otho II. nihilominus, vbi primum solus Imperij potitus est, eadem rursus confirmauit, paternaſque donationes, nouo diplomate, adprobauit, anno nongentesimo septuagesimo quinto ingrediente, &, vt id faceret, Othonis Ducis maxime intercessu, & Gregorij precibus dedit. Diplomatis hæc est copia.

A. D. X.

CCLD.
LXXV.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Si circa loca dicata Domino pro Ecclesiastica facultatis augmento intendimus, diuinæ nobis profecto remunerationis premium profuturum credimus. Ob hoc nouerit omnium fidelium nostrorum tam presentium, quam futurorum sollertia, quod nos interuentu aequiuoci nostri Ducis Alamannorum, & rogatu abbatis Gregorij, more antecessorum nostrorum regum, scilicet, & Coimperatorum, res, & prædia Vffennouua, Uringhoua, Pfassinghoua, ecclesiam de Megilano, cum omnibus ad eadem loca, quæ dici possunt, pertinentibus utilitatibus, Ecclesiis, decimis, censibus, ædificijs, vtriusque sexus mancipijs, agris, pascuis, alpibus, forestibus, piscationibus, molendinis, terris cultis, & incultis, quasitis, & inquirendis, sita videlicet in Ducatu Alamannico, in pago Zurichgouue, in Comitatu Managoldi, quæ pater noster de abbacia Seccunga, quadam sui iuris curte Scana dicta, & cum Ecclesia, in pago, & Comitatu Rhetia, nec non in eodem pago Portu Riuanano nauigij cum nauulo, per concambium legitima transmutationis concambiata ad Ecclesiam sanctæ MARIE in Cella Meginradi heremita constructam tradidit, Nos eorumdem prædiorum traditionem paternam renouando, ad prædictam venerabilis viri Meginradi Cellulam tradimus, firmiterq; donamus. Et vt hac nostra donationis auctoritas firma, stabiliſque permaneat, hanc chartam conscribi, & sigilli nostri impressione signari iussimus, manuq; propriâ subtus corroborauius.

H

Signum

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

Folginatus Cancellarius ad vicem Vuilligisi Archiepiscopi notauit.

Data VII. Kalend. Ianuarij, Anno Dominice Incarnationis. DCCCC. LXXV. Indictione IIII. Anno vero regni Ottonis Imperatoris, XV. Imperij VIII. Actum Eristein.

Eodem in loco, tertio, quam superius diploma conferat, die, Duce Othone pariter adnitente, Heremitis paternapriuilegia, quantum ad liberam Abbatis, post Gregorium, electionem, itemque iurisdictionem, & Imperialem protectionem confirmauit Otho, & sempiterna esse iussit, hoc quoque decreto.

IN nomine Sancte, & indiuidue Trinitatis. Otto, diuina fauente clementia, Imperator Augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet, & futurorum solertia, Qualiter equivocus noster Dux Alamannorum nostram deprecatus est clementiam, Quatenus pro DEI amore, loco, qui vocatur MEGINRADES Cella, ubi Dominus Eberhardus heremita Ecclesiam in honore sancte MARIE, sanctique Mauritiij, ceterorumque sanctorum DEI, Heremannie Ducis adiutorio a fundamentis edificauit, & cetera edificia monachis ad habitandum construxit, cui prius praeerat beatae memoriae vir illustris Eberhardus: quem & modo sanctissimus vir, cunctis virtutibus pollens Gregorius nobiliter regit, & monachis DEO sub regulari disciplina militantibus praest, Priuilegium nostrae auctoritatis, atque immunitatem, quam ceteris monasterijs concessam habemus, electionemque concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes, ob amorem Domini nostri IESU CHRISTI, nostraeque mercedis augmentum, iussimus hoc auctoritatis, atque immunitatis priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterque iubemus, ut post obitum venerabilis pra-

fati abba-

fati abbatis Gregorij monachi eius, qui supervixerint, monachicamque vitam, DEO auctore, in præfata Cella observaauerint, ac illorum successores, à modo, & deinceps firmissimam habeant potestatem eligendi quemcumq; inter eos abbatem voluerint, Et ut nullus ex iudiciaria potestate constitutus, aliquam exerceat super eos potestatem, vel super eorum causas, seu super familias intus, vel foris concessas, sed eiusdem Cellula abbas potestatiuè cum suis monachis ad illorum necessarios usus firmiter absq; omni contradictione possideat: Et sub nostra defensione, & immunitatis tuitione, prædia à nobis, seu ab alijs ad præfatum locum tradita, omnesque, ad illorum necessarios usus, ut supra diximus, res illorum perpetualiter permaneant. Et ut hoc auctoritatis nostræ præceptum privilegijque immunitatis firmitus habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria, subtus illud confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

*Folginatus Cancellarius ad vicem Vuilligisi archicancellani notauit. Datav. Kalend. Ianuar. Anno Domini-
cæ Incarnationis DCCCC. LXXV. Indictione IV. Anno ve-
ro regni Ottonis XV. Imperij VIII. Actum Erislein.*

Quo in Priuilegio, neque id sane repetendum omiserim, quod Eberhardus Fundator noster ab Otthone II. beata memoria Vir Illustris nominatur: Et sanctissimus vir cunctis virtutibus pollens Gregorius, insigni, & commemorabili veterum Antistitum nostrorum sanctitatis, & nobilitatis ab tanto Imperatore testimonio. Quando per ea tempora, & aliquot post seculis, non nisi viros Principes, & regio sanguine oriundos, aut in summis dignitatibus agitantés vocare *Illustres*, Imperatoris in diplomatis, mos versabatur. Quod alij etiam clara eruditione viri nostro tempore animaduenterunt & connotarunt.

A.D.N.
CC L^o.
LXXVII.

Huius anni extrema illustravit obitu suo Cunradus Constantiensis Episcopus ex Comitibus Altorfensibus, quibus Guelphis dedere cognomētum. Obijt v i. Kal. Decembris, Episcopatus anno quadragesimo. Alij præcedente anno defunctum memorant. De Angelica Sacelli DEI PARÆ Virginis consecratione is testimonium primus perhibuit, D. Mauritij Basilicam ipse consecrauit. Gaminulphum vero successorem habuit. Bonifacio v ii. etiam extincto, Benedictus v ii. successit. Anno nongentesimo septimo & septuagesimo Otho Imp. contra Lotharium Gallia regem, qui Lotharingiam occuparat, duxit, & ab hoste capta non modo recepit, Sed Parisios vsque penetrauit, suburbana incendit, Rhemenses, Laudunenses, Suefsiones vastauit. Interfuit huic expeditioni inter alios beatus Volfgangus Ratisbonensis Episcopus Heremi alumnus, qui quo pacto suos seruauerit, cum Othonem ex Gallia redeuntem Franci persequerentur, & pene apud flumen Axonam opprefsisent, auctor, qui tum viuebat, memorat, qui idem Volgango intimus, & familiarissimus erat. *Cum (inquit) Otho secundus Imperator ob illatam ipsi iniuriam Franciam hostili animo, & manu ingressus Lutetiam vsque peruenisset, in reditu ad fluuium quendam peruenere. Ubi autem beatus antistes cum suis eo peruenit, tum, presenti periculo commotus, suspexit in calum, & tum sibi, tum suis benè precatus, atque benedicens, iussit suos incunctanter, transire flumen. Sed, illis adhuc cunctantibus, & Francis interim acriter instantibus: ille primus in nomine domini, (quod semper in eius versabatur ore) fluuium ingressus suos animauit. Nec quisquam eorū vllum expertus est periculum. Tunc vero omnes id admirantes, præ gaudio in DEI laudes eruperunt. Sed vir humilimus, ne id in publicū efferrent obnixè eos rogauit. Per hæc tempora agitabat in Valle Drusiana, loco Ericfæ est vocabulum, Geroldus ex Saxoniae Ducum stirpe, & familia, heremiticā vitā ducens, ibiq;, cum filijs duobus Cunone, & Vldarico, Othonis Jagbergæ Comitis opibus, & liberalitate monasteriolum condiderat. Qui sibi vitæ termi-*

num vbi

num vbi appropinquare persensit, euulsis aliquot eius, quã infidebat, terræ cespitibus, & in peram coniectis, iisdem comitantibus filijs, ad Heremum concessit, & ad altare DEIPARÆ se, liberosque, & cuius illi erant cespites, terram, et sedem dedit, et dicauit, breuique, vnde venerat, Friesam reuectus, ibidem vitam posuit, circa annum nongentesimum septuagesimũ octauũ, et sepultus est. Filij in Heremo ordinem S. P. N. Benedicti sumserunt, et muneribus Vldaricus thesaurarij, Cuno Decani defuncti sunt. Vterque Friesæ sepultus, Vlricus quidem æde paternã; Cuno verò sacello D. Antonij, non absque sanctitudinis fama. Ab Geroldo verò loco facta denominatio, vocaruntque posteri Præposituram S. Geroldi, de quo pluribus alibi, mansitque; ille, ab eo, hucusque, in nostra potestate. Dederat ante annos xxxii. Otho Magnus Heremitis, admonitione, et rogatu Luitolphi filij, et Hermãni Allemanniæ ducis haut pauca, quæ in vico Rhetici Quadrauedis regij fisci fuerant, vti supra memorauimus, multa tamen exceperat, veluti hordeum, quod in equitatum pensitare solebant, indictiones præterea, et collectas ordinarias ad expeditiones, quæque in focum per familias exsoluere consuetudinis erat. Ea omnia, et quidquid denique, illo in vico, juris regij erat, obtinuit apud patrum Dux Otho, vt vniuersa Heremo condonarentur, isthoc decreto.

A. D. N.

CCLJ.

LXXIX.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto Diuinã fauente clementiã, Imperator Augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum presentium, atque futurorum sagacitas, Qualiter nos pro remedio bonæ memoriæ genitoris nostri animæ aternâ remuneratione, per interventum & suggestionem nepotis nostri, & aquirvoci Ottonis Allamanorum Ducis, quasdam res iuris nostri, in Comitatu eiusdem Ducis Otthonis Rhetici, in villa Quadrauedes nominata, Sanctæ DEI genetrici MARIE, & sancto Mauritio martyri, ceterisque Sanctis, quorum iuge obsequium in Silua, & in loco MEGINRADES Cella ab Gregorio heremita, cum ceteris fratribus in eodem loco monasticâ religione cele-

H 3

bratur

bratur, perpetualiter in proprium concessimus, id est, Ecclesiam nostram, cum decimis suis, & vniuersis illuc pertinentibus, legaliterque aspicientibus; Nec non & terram Dominicam, cum omnibus in praefata villa ad nostram regalem potentiam pertinentibus, id est, curtibus, adificiis, terris, agris, pratis, pascuis, siluis, alpibus, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, viis, & inuis, mobilibus, & immobilibus, quaesitis, & inquirendis, placitis, seruitiis, censibusque cunctis, id est fisci ordeum, de accensis ignibus, adiutoria nostra expeditionis cincta, ceteraque omnia ad imperiale ius pertinentia, veluti bona memoria genitor noster tradidit, concedimus, perpetualiterque donamus. Iussimus quoque inde hoc praeceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, Quatenus memoratus DEI famulus Gregorius, & ceteri fratres, ac successores eorum, nunc, & deinceps in ipso loco Christo militantes, stipendia illorum ibi meliorando, de supra scriptis nostrae largitatis rebus, ac locis liberam aeternaliter obtineat potestatem, manu propria subtus firmatum, annuloque nostro sigillatum.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

Hilteboldus Cancellarius ad vicem Vuilligisi archicappellani notauit.

Data xviii. Kalend. Febr. Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXXViiii. regni autem Ottonis Imperatoris xviii. Imperij vero xii. Indictione vi. Actum in Erenstein.

Illâ eâdem tempestate, possidebant Heremita, eiusdem Othonis primi liberalitate, praedia in Mortnouia, & Brifacis, & Alfatia plura, proinde remotiora, & ad curam incommoda. Eorum partem, adsentiente fratrum collegio, Gregorius abbas per commutationem Eberhardo cuidam concessit, ab eo vicissim, manu monasterij ad vocati, accepit, quae possidebat ipse Britta, Vinterbergae, Struttenhoffe, &

Grauoitz-

Graoltzthale vicinis Heremo locis, & promptis, & in quibus jam nonnulla habebant. Hanc mutuam possessionum earum translationē, suā auctoritate, Otho, eodem anno, & loco, dieque firmam, & rectam iudicauit, fanciuitque tali rescripto.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinā fauente Clementiā, Imperator Augustus. Cum cōsensu nostre auctoritatis qualiter complacuit inter Euerhardum, & Gregorium venerabilem abbatem cum suis fratribus in MEGINRADES Cella DEO militantibus, ob vtriusque utilitates prædiorum suorum cōmutationes fieri, fidelibus nostris, tam presentibus, quam absentibus notum esse cupimus. Et ne per futura tempora possit mutari quod sanxerunt probabiles viri, etiam nobis placuit, salubri illorum consilio interesse. Et ut cunctis apertissime pateat, qua sit commutatio prælibata, necessario huic chartæ est inferenda. Nam supra memoratus Euerhardus, cum consensu uxoris suæ Gislæ, ac filij Genehardi supra scripto abbati, ac suis fratribus prædium suū quod possidere visus est, in loco, qui dicitur Britta, in pago Turicgouue, ac in Quinterberg, ac Strutinhorvan, ac Graoltestale perpetuo habendum sub potestate Ecclesiæ, cuius idem abbas Gregorius procuracionem gerit, pro alio prædio eiusdem Ecclesiæ sito in Mortenhouue, ac in Alsatia, in manu sui advocati tradidit, cum Ecclesiis, mancipijs vtriusque sexus, cum agris cultis, & incultis, pascuis, pratis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, & cum quodam clerico Rutticlinus nuncupato, cum omnibus filiis suis, & cum omnibus utilitatibus ad prædicta loca pertinentibus. Et ut hoc concambium malorum in processu temporum nesciat detrimentum, iuxta petitionem illorum hanc chartam sub nostre auctoritatis persona iussimus scribi, ac nostre imaginis impresione signari.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

Hildiboldus Cancellarius ad vicem Vuilligisi Archicapellani notauit.

Data xviii. Kalend. Februarij, Anno Dominica Incarnationis dcccc. lxxviii. Regni autem Ottonis Imperatoris Augusti xviii. Imperij vero xii. Indictione vii. Actum Herenstein.

Sed ne patri largitione, & propensâ voluntate erga Heremitas concedere videretur, de suo quoque addendum putauit secundus Otto. Igitur, anno sequenti, Berouiam, & Vangense Sacellum, Lateriam, Bocariam, Cinctamque terræ Rhetia, & alia eius circuitus, & Comitatus loca in vsum monasterij conuertit, Gregorijque precibus munificentissimè largitus est, hoc monumento.

A. D. N.
CCLV.
LXXX.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduae Trinitatis. Otto, diuinâ fauente clementiâ, Imperator Augustus. Omnibus fidei DEO, ac nobis promissa debitis seruatoribus, astantibus scilicet, atque futuris per subiectum scripti presentis titulum patere volumus. Qualiter nos diuina retributionis premia prospicientes ob petitionem, & interuentum Gregorij cuiusdam Abbatis religiosi monachi, ad abbatiam suam, cui ipse regulari vitâ, & imitando digne exemplo presidet, in loco, qui dicitur **M**EGINRADES Cella, in honore sanctissimæ DEI genitricis MARIE semper Virginis constructo, atque consecrato, quemdam proprietatis nostræ locum Berouia nuncupatum cum Capella, in villa, quæ dicitur Vuanga, constructa, Lateria, Bocharia, & Cinctis, & omnibus in marca eadem ad nostram regalem potentiam pertinentibus, id est, curtibus, adificijs, terris, agris pascuis, pratis, siluis, alpijs, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, vijs, & in vijs, mobilibus, & immobilibus, quasitis, & inquirendis, cui omni futuro vsu qui humanis elaborationibus ibi adhuc serui, ac præaugmētari de die in diem potest, in Ducatu etiâ Ottonis Ducis, ac nepotis nostri, & in pago Curo vualahon iacentē dirigendum concessimus, atque hac nostræ Dominationis auctoritate ad integrum in proprium tradidimus. Eâ videlicet ra-

tione, ut

tione, ut præscriptus iam Gregorius abbas religiosus, successorque eius post eum venturi, prædictum locum Berouha vocatum, cum reliquis supra scriptis nostræ largitatis rebus, ac locis, absq; ullius inuidentis persona contradictione, suo iure, in usum Ecclesiæ, & monachorum, DEO, sanctæq; Genitrici illius, ibi die, nocteq; seruientium, ad agendum inde quod velint, perpetim teneant, atque possideant. Et ut hæc nostræ donationis traditio firmiter in futuris temporibus, ac stabilior à cunctis habeatur, hoc nostræ maiestatis præceptum inde conscribi, manuque propriâ, subtus notatum sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti.

Hildeboldus Cancellarius ad vicem Vuilligisi archicancellani notauit.

Data IIII. Kalend. Febr. Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXXX. regni autem Ottonis secundi XIX. Imperij XIII. Indictione VI. Actum in Helpite.

Inde maximis, equitum, peditumq; copijs in Italiam profectus natalitios dies Romæ celebrauit, ibidem à Benedicto rursus coronari voluit. Gamenuolpho Constantiensi Episcopo substitutus Gebhardus Hugonis Brigantij comitis filius. Vere primo anni nongentesimi octogesimi primi, in Græcos, qui Calabriam, & Apuliam auxilijs Sarracenorum receperant, copias promouit, multa prosperè gessit, donec idibus Iulij, prælio apud Vafentellum inito, ab Romanis, & Beneuentanis proditus, & perfidiosè desertus, magnâ suorum clade, profligatus est, cum vix se è nauicula in mare, instante hoste, abjecisset, & natatu euasisset. Neque tamen Græci aliud ausi, quantum uis Italiam facile dominio Orientali vindicare possent, victoriâ fraude partâ contenti Constantinopolin haut procul triumphatibus rediere. At Otho subito copias recollegit, & inopinato Beneuentanos, tamquam cladis acceptæ auctores, oppressit, urbem diripuit, & incendit, proditores, & fugæ compertos varijs cruciatibus

*A. D. N.
CCL. J.
LXXXI.*

enicauit.

enicauit. Romam inde profectus quoscunque proditiōnis conscios, aut suspectos pariter interemit, grauem se, & implacabilem perfidiæ vindicem præstitit. vnde Sanguinarium Romani cognomine vocarunt. Inter illa, & dum eximium se operâ, & fortitudine patruo Imperatori præstat dux Otho valetudine repente oppressus, & extinctus est, anno nongentesimo octogesimo secundo xlii. Kal. Septembris. Illi ante quinquennium, pulso ob rebellionem Heinrico patrueli, ducatum etiam Bauariæ Imperator commiserat. Sed, eo defuncto, Henricus paterno ducatu restitutus est. Allemaniam accepit ab Imperatore Cunradus, & Heremitarum pariter patrociniū. Sed dum, ingenti curâ, quoque reparat bellum Otho, anno sequenti pariter animi ægritudine vitâ defecit, vi. Idus Decembris. Ex eius obitu subortæ maximæ, toto Imperio, turbæ, per partes, & dissidia, alijs Henricum Bauarum, alijs Othonem tertium, secundi filium, & postremo Romanis, & Italicis Crescentium Nomentanum nobilem Romanum ad Imperium vocantibus. Vicit maior, meliorque pars, & adprobante pontifice, Othoni nondum pubertatis annos egresso, paternum Imperium stabilitum, haut vanâ spe, & voto, quando talem se præstitit, vt rerum gestarum claritudine, Mirabilia mundi vocatus, & pro altero Salomone virtutis, & sapientiæ laude habitus sit. Vbi primum regnum ingressus est, nihil prius habuit, quam Germaniæ per factiones exorta dissidia extinguere, partiumq; nomina abolere. Peragrata igitur, anno nongentesimo octogesimo quarto, provinciâ Rhenanâ, vrbibusq; sacramentum adactis, Ingelheimium cum matre Theophania, auctumno exeunte, venit, ibiq; aliquam diu subhæsit, audiendis ciuitatum, & principum legationibus, & scribendo aduersus Gallum milite. Illic morantē Gregorius adiit, adsumtisq; in patrociniū Theophaniâ Augustâ, & Cunrado Allemaniæ duce, qui jam non obscuris suum erga nostros amorem, & adfectum patefecerat indicijs, ab eo contendit, quæque patris, quæque aui donationes, immunitates, priuilegia, & jura apud Heremum exstarent, ea, suâ auctoritate, & mu-

nificentia

A. D. N.

CCLV.
XXCII.

A. D. N.

CCLV.
LXXXIII.

A. D. N.

CCLV.
XXCIV.

nificentia certa pariter, & rata esse vellet, diplomateq; fanciret. Otho eius preces, solita beniuolentia, amplexus adnitente præfertim matre, duceque Cunrado, quidquid petijt cumulatè præstitit hoc rescripto.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuinâ fauente clementiâ, Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet, atque futuris, quomodo venerabilis Gregorius abbas sanctæ Ecclesiæ Meginradi Cella vocatæ ad nos venit, ac secum detulit præcepta beata memoriæ Ottonis Augusti Imperatoris aui nostri, ac piæ commemoratiõnis filij, & auiuoci illius, genitoris nostri Imperatoris similiter Augusti in quibus continebatur, Qualiter ipse auus noster supra nominatus, suâ præceptione, ad præfatam Ecclesiam in honore sanctæ DEI genetricis MARIÆ semper virginis, & sancti martyris Mauritij constructam, & consecratam concessit, ac dedit, vt nullus publicus exactor de familia, aut seruatoribus præscriptæ Ecclesiæ, siue abbatis ante iam dicti, successorumue eius telonium à quocumque negotio: vel percussuram monetæ in loco Turegum nuncupato exigat, seu accipere præsumat: Et quomodo loca Vffenoua, Pseffinchouua, Urincouua, Redilinghouua, wuilliringhouua dicta, Ecclesiamque in Mediolana; Et loca Regale, Endinga, Deninga, Densilinga, Vuenelinga, Burgheim, Rottuula, Betzenhusa, Zarda, Baldinga, Liela, Ascinza, Bochesberg nominata, illuc donauit, eadem loca, & alia omnia ad eandem Ecclesiam iuste pertinentia, suâ auctoritatis Præcepto confirmauit. Atq; filius eius prælibatus genitor noster Imperator Augustus omnia hæc præceptionis suæ donatione simili modo postea corroborauit. Pro rei autem firmitate idem iam dictus Gregorius abbas petijt nostrâ Celsitudinem, vt nos denuo ab auo nostro superius videlicet nominato, & à genitore nostro auiuoco eius Augustis Imperatoribus, aut ab alijs regibus, vel Imperatoribus ad præfatam Ecclesiam donata, & confirmata, nouâ nostrâ præceptionis auctoritate, omnia cõfirmaremus. Nos vero pro DEI amore, ac petitione dilectæ matris nostræ Theophanæ scilicet

Impera-

Imperatricis Augusta, & interuentu fidelis nostri Cunradi Alamannorum Ducis piam deprecationem illius benigne suscipientes telonium de qualicumque negotio, & percussura monetæ, in loco Turegum nominato, quæ prætitulatus auus noster beate memoriæ Otto Imperator Augustus Ecclesiæ concessit, & omnia loca superius nominata, Ecclesiæ in Mediolana, quæ ipse ad prænotatam Ecclesiæ Meginradi Cella vocatam, Imperiali potestate condonando tradidit, accumulatis locis, vel rebus omnibus illuc rite aspiciētibus confirmauit, atq; genitor noster regiā, Imperatoriaque dominatione simili modo postea corroborauit, nouiter cum hac regali nostræ præceptionis munificentia præfata Ecclesiæ, & abbati prædicto qui modo ei præsidet, successoribusq; illius, & monachis DEO ibi seruientibus sub perpetuo iure habendum donamus, tradimus, & confirmamus, Regiā potestate firmiter præcipientes, Ut nullus Exactor publicus, vel alia qualibet maior, aut minor persona, in prædicto loco Turego, de familia, seu seruatoribus superius iam dictæ Ecclesiæ, siue abbatis, successorumque illius, telonium, aut percussuram monetæ exigere, vel accipere audeat, seu in prædictis locis, aut aliis eidem Ecclesiæ à regia, vel Imperiali potestate, siue ab aliquibus ceteris DEI fidelibus traditis, seu tradendis, repetitum abbatē Gregorium nomine, successoresue eius, aut monachos DEO, & sanctæ MARIE Virgini iugiter ibi seruientes inquietare præsumat. Et ut hæc nostræ donationis confirmatio præsentis, ac futuro tempore coram cunctis DEI, & nostris fidelibus firma, ac stabilis permaneat hoc regiæ dominationis nostræ præceptum inde conscriptis sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque propria, ut in propatulo videtur, subtus corroborauimus.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligsi archicapellani recognoui. Data VI. Kalen. Nouembrii. Anno Dominicæ Incarnationis. DCCCC. LXXXIII. Indictione XIII. Anno vero regni tertij Ottonis primo, Actum Ingilenheim. In DEI nomine feliciter. Amen.

Benedi-

Benedicto successit Ioannes xiv. & mox illi Ioannes xv. Transactâ hieme, Cæsar exercitum cōtra Lotharium regem, qui Lotharingiam rursus armis inierat, Virodunum, & Gotfridum eius Comitem ceperat mature eduxit. At ille, qui foedus, cum Othone II. insitâ genti leuitate, cupidini suo post habuerat, Othonis III. atatem contemserat, vbi aduenire præter spem, egregio milite, intellexit, turpi fugâ in Gallia interiora retrocessit, Virodunum Cæsari, Gotfridum libertati restituit. Anno nongentesimo octogesimo sexto Ioanni xv. successit Ioannes xvi. Anno sequenti, Hermannō Contracto teste, & Calendario vetere, *S. MEGINRADI Ecclesia aucta est*, sed quæ ea auctio fuerit, aut quid additamenti accesserit haut æquè explicant. Arbitror posteriorem Basilicæ partem fuisse, vbi nunc Odæum, & inferius duæ fornicatæ cellulæ. Nam tertiam, & ampliorem duabus antiquioribus post, & ex interuallo crediderim adiunctam. Argumentum esse possit, quod in earum cellularum alterâ sepulturam sibi S. pater noster Gregorius dilegerit, quasi in eum ipsam condiderit vsus. Iam nonum viduitatis annum agebat Theophane, seu, vt alia habent exemplaria, Theophania Othonis II. coniunx, egregiâ virtute, & pietate femina, Heremitarum singularis faulrix, & patrona, cum ipsa ad cælum migravit, anno nongentesimo nonagesimo primo, vi. Kalend. Septembris, magnumque sui desiderium apud omnes reliquit. Eius, parentalibus nostris libris, cum curâ adscripta, & notata memoria. Erat Nicephori Orientis Imperatoris filia, vt quidam volunt priuigna, Ioannis soror. Othonem III. peperit, singulariq; industriâ, & sapientiâ, in eas, quibus longe inter orbis principes enituit, virtutes eduxit. Gregorius interea non solum ijs attentus, quæ ad præsentem sui monasterij felicem statum attingere videbantur, sed omnem eo curam vertens, exercitansque, vt quam largissimè eius fama, & disciplina peruaderet, & inde vitâ, exemplo, monitis, alijs religionis incitamentis recti amor, & pietatis studium auerentur, flagitia, & prauæ cupiditates abolerent, percolendæ S. Geroldi solitudinis, et quod in-

A. D. N.

CCLD.
XXCV.

A. D. N.

CCLD.
XXCVI.

A. D. N.

CCLD.
XXCVII.

A. D. N.

CCLD.
XCI.

stituerat canobioli frequentandi certus necessarijs porro ad id comparandis animum aduerterat, vicinosque aliquot locos Berouia, Lateræ, Bocaria, Vangæ, Cinctæque, qui proprietatis regiæ erant, neque ad cuiusquam dominationem, aut vsu pertinebant, ab Imperatore Othone II. acceperat, paternæ munificentia, vti demonstrauius, & erga Heremitas beniuolentiæ æmulatore, vti fortitudinis, & magnificentia. Sed quia remotiores erant, & ideo maiori in periculo, non jam augendis, sed ab iniurijs vindicandis maxime sollicitus, posteaquam Othonem Francofurti conuentum, super bello Saxonico, anno nongentesimo nonagesimo secundo ineunte, agitare cognouit, ætate licet grandi, & valetudine dubiâ, paucis comitibus, ad eum tamen tetendit, et, pari munificentia, quâ Patrem, auumque dedisse ostendebat, confirmare data, & perpetuò rata facere dignaretur deprecatus est, impetrauitque, non suâ jam modo petitione, sed intercedentibus, propensione singulari, & fauore Adelheide Augustâ auiâ, Cunrado Allemanniæ, & Heinrico Bavarie ducibus, & pluribus alijs principibus. Diploma in hunc modum proditum est.

A. D. X.
CCLV.
XCII.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuina fauente clementia, Rex. Omnium fidelium nostrorum tam presentium, quam & futurorum nouerit industria, Qualiter nos, ob interuentum, & petitionem venerabilis abbatis Gregorij sanctæ Ecclesiæ MEGINRADI Cella vocata, nos conuenientis, ac secum deferentis precepta beatæ memoriæ Ottonis Imperatoris Augusti aui nostri, ac piæ cõmemorationis filij, & aquirvoci illius, genitoris nostri Imperatoris Augusti, hæc eadẽ confirmare decreuimus, in quibus continebatur, Qualiter ipse auus noster Ecclesiæ præfate tradiderit in Rhatia, in villa Quadrauedes dicta, Ecclesiam cum decimis suis, ac terrâ dominicam, cum omnibus in præfata villa ad regalẽ potentiam pertinentibus, id est, curtilibus, ædificijs, terris, agris, pratis, pascuis, siluis, alpibus, aquis, aquarumue decursibus, moleninis, piscationibus, vijs, & inuis, mobilibus, & immobilibus, quasitis, & inquirendis, placitis, seruitijs, censibusque

cunctis,

cunctis, ac fscum ordeum, de accensus ignibus, adiutoria regalis expeditionis cincta, ceteraque omnia ad imperiale ius pertinentia, ac eadem loca, & alia omnia ad eandem abbatiam iuste pertinentia, sua auctoritatis precepto confirmauerit: similique modo filius eius genitor noster omnia hac sua traditionis largitate postea corroborauerit, dato etiam sua proprietatis loco, Berouba nuncupato, cum capella, in villa, qua dicitur Vuanga, Lateria, Bocharia, Cinctis iacente dirigendo, & omnibus in marcha eadem ad ius regale pertinentibus. Nos ergo pro DEI amore, ac petitione dilectæ auie nostræ Adelheide, & interuentu fidelium nostrorum, Cunradi, & Heinrici Ducum, ceterorumq; fidelium, de omnibus prefatis locis, ac negotiis, à patris, ac progenitoris nostri, vel quorumlibet fidelium largitate concessis, prædictam DEI Ecclesiam traditionis, ac confirmationis munificentia redonamus: Obnixè iubentes, ut nullus exactor publicus, vel alia qualibet maior, vel minor persona in rebus Ecclesie traditis, seu tradendis, loci ipsius abbatem, successoresue eius, vel monachos ibidem degentes inquietare præsumat, vel aliquid iniurie familiaris eorum intus, vel foris, vel in capitalibus censibus inserat, aut ad seruitia iniqua constringat, vel sua tollendo, à fratrum iam dictorum continuo seruitio abducendo, vel impediendo affligat. Et ut hac nostræ donationis reformatio ab omnibus sanctæ DEI Ecclesie filiis amodo, & deinceps firma, stabilisq; credatur, hanc chartam inde conscriptam sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propria subtus corroborauimus.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archiepiscopi recognoui.

Data IX. Kalen. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis. DCCCC. XCII. Indictione V. Anno autem tertij Ottonis regnantis IX. Actum Franconvurti feliciter. Amen.

Dilapsa mox frigoris asperitate, in tumultuantes Saxones mouit, Brandenburgum expugnauit. Magna per ea tempora potentia, & dignitate vigeat Hermannus is, cui Otho III. post Cunradi mortem Allemanniæ ducatum de-

dit. Susceperatque ex Gerburga Cunradi Burgundiæ regis filia, filias tres, masculâ prole destituebatur, & eo magis appetebat, quia pulchritudine, & virtute femina antistabant. Medicorum igitur operâ, & quæ mortalium sunt, postpositis, ad DEIPARÆ Matris quæ apud Heremitas præsidet, multaq; admiranda, & inopina patrat, se cõuertit, sibiq; marem hæredem apud filium, & eundem rerum omnium conditorem obtineat, summis precibus enixusest. Accepit preces regina cælorum, votoq; cõdamnavit, nato hoc eodem anno puero, quem subito, tamquã ab ea impetratum, & eius donum ad DEIPARÆ sacellum in Heremum transtulit, magnaq; lætitiã, & omnium congratulatione salutaribus vndis ibidẽ expiari voluit, proparente, & teste adscito inter plures Gregorio abbate, & Hermannũ de suo nomine vocavit. Atq; is post patrem summã potentiã, & omnium gratiã Allemãniæ præfuit. Anno nongentesimo nonagesimo tertio, explebat jam vicefimum secundum sui episcopatus Volfgangus, tempusq; quod illi in nostra Heremo per visionem prædixerat quondã S. Othmarus, locusque aderat. Igitur cum sibi haut dubie extrema instare sensit, in eiusdem S. Othmari sacellum, quod in vico Puppingæ est, transferri se curavit, paucisq; horis, ibidem spiritum DEO reddidit pridie Kal. Nouembris, Lamberto Schafnaburgiensi auctore. Nam Naucerus, qui ante euenisse scribit, in errore est. Haruicus Salisburgiensis archiepiscopus, & Aribo Comes Andechsius Ratisbonam delatum apud S. Emerammum magnã frequentiam, & omnium lacrimis, & questibus, se desertos ab patre optimo et sanctissimo ingementium sepeliere. Eius sanctitudinem nõ modo dum vixit, sed post mortem quoque crebra miracula probauere. Anno sequenti, Cunradus rex Burgundiæ Adelheidis Augustæ frater vitam reliquit, & regnum Rudolfo III. filio, cui Ignauo fecere cognomentum. Anno nongentesimo nonagesimo quinto, Gebhardo vi. Kalendar. Septembris defuncto, virtute, & pietate insigni, vnde & diuorum in numerum refertur meruit, nobilitateque præstanti, successit in Episcopatu Constantiensi Lambertus

monachus

A. D. N.

CCLD.

XCIII.

A. D. N.

CCLD.

XCIV.

A. D. N.

CCLD.

XCV.

monachus eius, quod idem Gebhardus apud ripam Rheni, Petershausē est nomen, ex suo patrimonio condiderat, monasterij. Quod quidem monasterium ex nostri formula, regi voluit: credo etiam ex nostris sumsisse qui primo rege-
rent. Ita enim scriptus manu liber de rebus gestis eiusdem S. Gebhardi. *De Cella quoque S. MEGINRADI, qua dicitur ad Solitarios, suos monachos S. Gebhardus normam viuendi, & regimen habere decreuit, quoniam monachi illius canobij tunc temporis fuerunt religiosissimi.* In eodem libro numerantur abbates tres ex nostra Heremo Petridomum acciti *Vualterius, Sigisfridus & Adelbertus.* Gregorius vero abbas, qui id vnum expetebat, egregiā rei familiaris curā, vti & disciplinæ monasticæ obseruantia, vt monasterij bona, & prædia, quantum fieri potuit, maximè propinqua, & ad manum essent, aut certè coniuncta, vt eorum melior ratio haberi, & commodius curari possent, cum Hildebaldo Vormatiensi Episcopo Cæsaris Cancellario egit, vt quæ paullo antè Schliengæ in Brisiacis liberalitate ab Othone acceperat, ea sibi cederet, quia iam Schliengæ Othonis M. donatione amplas possessiones habebat. Qui cum annuisset, Episcopo contra quæ sui erant iuris, & proprietatis Gruonouio in vico, manu aduocati abbas resignauit. Vtriusque antistitis pacta conuenta suā auctoritate sanxit Otho Francofurti, hac formā.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuina fauente clementiā, Rex. Notum sit omnibus fidelium nostrorum tam presentibus, quam & futuris, Qualiter cum nostra auctoritatis consensu inter Hildebaldum Vuormatiensis Ecclesie antistitem, & Gregoriū monasterij, quod MEGINRADES Cella nuncupatur, venerabilem abbatem, cum communi consilio fratrum ibidem DEOMILITANTIUM, complacuit ob vtrorumque utilitates suorum prædiorum commutationes fieri. Et ne per futura tempora possit mutari quod sanxerunt probabiles viri, etiam nobis complacuit salubri illorum consilio interesse. Et vt cunctis, quæ sit commutatio prælibata apertissime pateat, necessario est huic chartæ inserenda.

Supra memoratus namque Hildebaldus Episcopus, cum consensu Ecclesie sue clericorum, supra scripto abbati, ac suis fratribus prædium suum Schalca nuncupatum, in Ducatu Alamannico, in pago Prifachouue dicto, in Comitatu Birichtilonis Comitæ sito, cum omnibus ad eundem locum iuste, ac legaliter pertinentibus, hoc est, areis, ædificiis, vineis, mancipiis utriusque sexus, seruitiis, censibus, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, quasitis, & inquirendis, exitibus, & reeditibus, viis, & in viis, cunctisque alijs appendiciis, quæ adhuc dici, aut nominari possunt, perpetuo habendum sub potestate Ecclesie, cui præfatus venerabilis abbas Gregorius præesse videtur, pro alio prædio eiusdem Ecclesie Gronouua dicto, in manibus sui aduocati firmiter contradidit. Et ut hoc concambium malorum in processu temporum nesciat detrimentum, iuxta petitionem illorum hanc chartam sub nostræ auctoritatis persona iussimus scribi, ac nostræ imaginis impressione signari.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi regis.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archiepiscopi recognoui. Data v. Idus Decembris. Anno Dominicæ Incarnationis. DCCCC. XCV. Indictione VIII. Anno tertij Ottonis regnantis XII. Actum Francofurti feliciter. Amen.

*A. D. X.
CCLD.
XCVI.*

Et si verò multo ante expeditionem Italicam animo agitarat Otho, varijs tamen bellis, & negotijs, in annum usque insequentem distulit. Profectus eo magno, & eximio comitatu per pacem, & omnium vota, & ad plausum Romam, ineunte Martio, aduectus est, vbi non minori quam per aliquam Italiam, pompâ, & lætitiâ susceptus, adnitente in id Ioanne pontifice, & Crescentio consule P. Q. R. & vniuerso clero, plures dies inter publica gaudia, & oblectamenta exegit, donec precibus pontificis, viâ Campanâ, mouit exercitum versus Capuam, & Beneuentum, quæ inter se non dissidebant modo, sed præteritorum memoriâ, aut suapte peruicaciâ Cæsareas opes despiciere videbantur. Illis & con-

cordiam

cordiam pristinam reparauit, & concordēs suo mox imperio subiecit. Inde, re ex animi sententiā perfectā, Romam regressus, Ioannem extremum diem obiisse reperit. Suā igitur præsentiā, & exercitus formidine Crescentij, & P. R. vim, & audaciam repressit Otho, ne, quod solitauerant, pontificis nominationem auderent, aut in partes, & factiones, antiquum, & insitum, illa in Vrbe, pontificijs comitijs, malum, secederent. Electus omnium suffragio, sed Othonis præcipuè fauore, & ambitu Bruno, Othone Allemanniæ quondam duce patruelis genitus, qui Gregorium se V. vocauit. Prima Gregorij cura fuit Othonis coronatio ad maiorum suorum exemplum. Peracta ea V. Idus Iunij, solitā sollennitate, & omnium congratulatione. Quibus rebus peractis, Imperator Romā subito discessit, peragrataque Calabria, & adito, religionis causā, Gargano, versus Germaniam, incipiente auctumno, iter conuertit, compositā vrbe, & pacatā, vt videbatur, plurimos in annos Italiā, lætus, & triumphabundus Constantiam primò, post in Elfatiam, & Lotharingiam, Belgicamque profectus, exeunte Nouembri, Bruxellas peruenit. Et illum eo vsque profectus abbas Gregorius. Vbi rursus, ostensis patris, auique diplomatis, priuilegijs, & beneficijs, eorum memoriā, & suapte propensione, accedente solito fauore, & adfectu Augustæ Adelheidis auiæ, & ducis Cunradi facile impulit, vt eadem omnia, posteaquam Imperialia ornamenta accepit, receptā consuetudine, nouo rescripto æternum stabiliret, & firma, perpetuaque declararet. Rescripti exemplare ita habet.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuinā fauente clementiā, Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus, scilicet, & futuris. Quomodo venerabilis Gregorius abbas sanctæ DEI Ecclesie MEGINRADI Cellæ vocata, ad nos venit, ac secum detulit præcepta beatæ memoriæ Ottonis Augusti Imperatoris aui nostri, ac piæ commemorationis filij, & æquivoci illius genitoris nostri Imperatoris similiter Augusti, in quibus continebatur,

Qualiter ipse auus noster supra notatus, sua præceptione, ad præfatam Ecclesiam in honore DEI genitricis MARIE semper Virginis, & sancti martyris Mauritiij constructam, & consecratam concessit, ac dedit, ut nullus publicus exactor de familia, aut de seruatoribus præscriptæ Ecclesiæ, sine abbatis ante iam dicti, successorumue eius, telonium à quocumq; negotio, vel percussura moneta, in loco Turegum nuncupato, exigat, seu accipere præsumat: Et quomodo loca Vffenhouua, Phaffinghouua, Uringhouua, Reddilinghouua, Vuilliringhouua, Steuia, Lindenouua, Houa, Vuanga dicta, Ecclesiæque in Mediolano: Et loca Regale, Endinga, Deninga, Denzelinga, Vuenilinga, Bezenhusa, Zarda, Liela, Aschinza, Brittona nominata: Et loca in Rhetia sita Quadrades, Campesia, Meilis, Perouua nominata, illuc donauit, ac eadem loca, & alia omnia ad eandem Ecclesiam iuste pertinentia sua auctoritatis præcepto confirmauit: Atque filius eius prælibatus genitor noster Imperator Augustus omnia hac præceptionis sue donatione, simili modo, postea corroborauit. Prorei autem firmitate idem iam dictus Gregorius abbas petit nostram Celsitudinem, ut nos denuo ab auo nostro superius uidelicet nominato, & à genitore nostro æquiuoco eius filio Augustis Imperatoribus, aut ab alijs regibus, sine Imperatoribus ad præfatam Ecclesiam donata, & confirmata, nouâ nostræ præceptionis auctoritate omnia confirmaremus. Nos vero pro DEI amore, & petitione dilectæ auie nostræ Adelheidæ Imperatricis Augustæ: & interuentu fidelis nostri Cunradi Alamannorum Ducis, piam deprecationem illius benigne suscipientes telonium, de qualicumque negotio, & percussuram moneta, in loco Turegum nominato, quæ prætitulatus auus noster beata memoria Otto Imperator Augustus Ecclesiæ concessit, & omnia loca superius nominata, Ecclesiæque in Mediolano, quæ ipse ad prænominatam Ecclesiam MEGINRADI Cella vocatam Imperiali potestate condonando tradidit, ac cum alijs locis, vel rebus omnibus illuc rite aspicientibus confirmauit: Et quæ genitor noster regiâ, Imperatoriâque dominatione, simili modo, postea corroborauit, nouiter cum

hac

hac regali, & imperiali nostra præceptionis munificentia præfata Ecclesia, & abbati prædicto, qui modo ei præsidet, successoribusq; illius, & monachis DEO ibi seruientibus, sub perpetuo iure habendum donamus, tradimus, ac confirmamus, Imperiali potestate firmiter præcipientes ut nullus exactor publicus, vel alia qualibet maior, aut minor persona in prædicto loco Turego de familia, vel seruitoribus superius iam dicta Ecclesia, siue abbatis, successoribusque illius telonium, aut percussuram monetæ exigere, vel accipere audeat, seu in prædictis locis, aut aliis eidem Ecclesia à regia, vel Imperiali potestate, siue ab aliquibus ceteris DEI fidelibus traditis, seu tradendis repetitum abbatem Gregorium nomine, successoresue eius, aut monachos DEO, & sanctæ MARIE Virgini iugiter ibi seruientes inquietare præsumat. Et ut hæc nostra donationis confirmatio præsentis, ac futuro tempore coram cunctis DEI, & nostris fidelibus firma, ac stabilis permaneat, hoc imperialis dominationis præceptum inde conscriptum, sigilli nostri impressione signare iussimus, manuque propria, ut in præpatulo videtur, subtus corroborauimus.

Signum Domini Ottonis invictissimi Imperatoris Augusti.

Hildebaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archicapellani recognoui.

Data pridie Kalend. Nouembris, Anno Dominice Incarnationis DCCCC. XCVI. Indictione X. Anno vero tertij Ottonis regnantis XIII. Imperij autem primo. Actum in Broxole. Feliciter. Amen.

Haut longa deinceps Gregorio vita fuit. Ex Belgio reuerfus fundatoq; & in perpetuū cōstituto nostri monasterij statu, ægritudine per viam inualeſcente, & exità ætate, exſtinctus est VI. Idus eiufdē mensis Nouembris regiminis anno XXXIII. magnā apud Imperatores, & Principes, dū vixit, dignitate, & honore, & apud reliquos ōnes auctoritate, & veneratiōe. Anglū fuisse, & regiæ stirpis, Eduuardo patre, fratribus

Adelſtanno

Adelstanno, & Edmundo Angliæ regibus consentiunt Heremi scripta omnia, quorum ista quoq; interferere volui. *Hic Gregorius de Anglorum regibus ortus, nuptiis sibi paratis, nocte à coniuge suâ pro DEI amore aufugit, & Roma in Cælio monte monachus factus, & diu inclusus, angelo tertio sibi precipiente, omnibus incognitus huc aduenit, & postea hic abbas effectus, & angelicam vitam ducens hic obdormiuit. Sub quo etiam S. Volfangus Ratisbonensis episcopus hic Heremiticam vitam duxit, & isthic Decanus exstitit, & causâ prædicationis ad Bauarorum conuersionem ab eodem suo abbate missus est.* Consentit quantum ad nationem, & nuptias paratas, & cælestis sponsi amore contemptas scriptor vitæ eiusdem S. VVolfangi, cum eiusdem S. VVolfangi in Heremum nostram aduentum retulisset. *In illis autem diebus, inquit, cænobitis loci ipsius spiritualis præfuit pater Anglorum gente procreatus, nomine Gregorius, iuuenilibus annis patriam, parentes, feminam quoq; sibi desponsatam relinquens ad monasterium cõuolauit, cuius vitam religiosissimam, quia non opus est, hic retexere prætermittimus, ne à proposito deuieamus. Huius ergo abbatis magisterio seruus Christi Volfangus se commendans, &c. Nobilissimum sanè ex progenitoribus, & ob vitæ integritatem sanctum Hermannus Contractus nominauit.* Fateor, apud eos auctores qui res Anglicas posteris reliquerunt, Gregorij, quod sciam, mentionem non reperiri. Sed neque moris erat regum, aut Principum liberos, qui sacris se dedissent, ferme recensere, nisi quantum eorum memoriam publica, vel priuata poscebant negotia, & acta, adeò, ijs quasi mundo mortuis, & rebus humanis ereptis, nullam historici ipsorum prope rationem habuere. Gregorium Heremitæ fornice concamerato pone D. Mauritij altare condiderunt, vbi multis inclaruisse traditur miraculis. Suffectus vnanimi collegio Virandus ex Comitibus Vandelburgiensibus, Raperuilla dominis, vi. Kal. Ianuarij, qui Gregorio memoriæ, & gloriæ hoc epitaphium posuit, vti erat summæ eruditionis, non minus atque virtutis.

Abbas

*Abbas Gregorius laudum splendore coruscus,
 Flos Angla stirpis: præcipuus meritis.
 Idibus in senis animam reddendo Nouembris
 Spiritui calum, osibus hunc tumultum
 Promeruit, dignâ factis mercede repensâ.
 Nunc fruitur summo latus, ovansq; bono.
 Creditur angelicis psyche subuectâ ministris
 Gregorij patris sedibus athereis.*

Atque ista fuere nostræ Heremi fundamenta, hi principes, hæ columnæ, quos etsi postea successores nobilitate, aut sanctitudine hautforsitan omnino adsecuti sunt, magnâ tamen certè virtute, & constanti disciplinâ ad postrema pene tempora agitauere. Quod petiti inde non modo in vicina monasteria Antistites, sed frequentes etiam Ciuitatum Episcopi satis demonstrant, de quibus suis locis.



VIRAN.